



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sacerdos Aut Sanctus Aut Reprobus

Dufrène, Maximilian

Augustæ Vindelicorum, 1743

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60483](#)



Ad Lectorem.

Cum Tridui Riedöschingani materiam inspicis, Lector benevole, quænam sit hujus Tridui ratio ac methodus, intelligere procul dubio avebis. Piæ curiositati ut satisfaciam, breviter expono singula, quæ non ingrata tibi fore judicavero. Est Riedöschinga Ditionis Mösskircho - Fürstenbergicæ Pagus Villingam inter & Schaf-fusium. Parochiæ illius Rector Zelosissimus ædes Parochianas ita suis impensis adaptavit, ut facile triginta Venerabiles Confratres admittant, Triduum renovando spiri-tui datus: Cellulas & cubicula totidem eapropter distinxit, quæ & necessaria suppellectili liberaliter instruxit. Confluunt huc è tota latè vicinia, quin etiam è locis remotioribus Dominici Gregis Pastores ferventissimi, quos omnes velut hospites gratissimos tecto & mensâ latus excipit Tridui Fundator, Plurimùm Reverendus Dominus Frobenius, Ferdinandus Tomsin, Parochus Riedöschinganus, & Ven. Capituli Engen-sis Deputatus ac Senior, qui honoris & gra-titudinis ergò hūc nominari debuit,

Cum

Cum tempus adest Tridui, per literas diu
antè promulgati, quod in æstatem plerum-
que incidit, adsunt pariter Sacerdotum le-
ctissimorum manipuli, nullis aut viarum,
aut tempestatis sæpiùs adversæ incommodis
absterriti. Singulis diebus, quos comple-
ctitur Secessus, circa horam quartam ma-
tutinam incipiunt celebrari sacra, ad quæ
confertus è tota vicinia populus concurrit,
ut in maximis Solemnitatibus fieri afolet.
Horâ octavâ cum cantu in Hierotheca ma-
jore exponitur Venerabile Sacramentum,
exclusoque post Benedictionem populo, sa-
cris commentationibus datur initium, quæ
usque ad decimam producuntur, quod idem
fit post prandium ab hora secunda ad quar-
tam pomeridianam. Ordinur semper à le-
ctione sacra, quam excipit vel considera-
tio, vel æquivalens examen statûs: sequi-
tur meditatio, cui semper subjungitur pia
in silentio materiæ propositæ per horæ cir-
citer quadrantem ruminatio. Claudit de-
mum utriusque mediæ diei exercitia Sacra
cum Cantu Benedictio.

Circa horam undecimam sumitur prandi-
um, & sub sextam vespertinam cœna, quo
toto tempore ex idoneo Auctore pia præle-
guntur: post utramque autem refectionem bi-
ni ad templum transeunt omnes, psalmum
quinquagesimum alta voce recitantes, fusis-
que ibi per tempus aliquod precibus, collo-
quium instituitur, sub meridiem usque ad ho-

ram primam; Vesperi ad octavam, quod ma-
terias morales, asceticas, polemicas, Eccle-
siastico Historicas &c. ventilando, non hila-
riter minus, quam pie ac docte transmitti-
tur. Horâ octavâ instituitur examen con-
scientiæ, & publicè dicuntur preces vesper-
tinæ. Tempora autem vacua interdiu aut
horis recitandis, aut sacræ lectioni, vel scri-
ptioni deputantur. Die ultima totum Tri-
duum cantato solemniter Hymno Ambro-
siano clauditur, quo finito alacres ad sua
redeunt strenui in Vinea Domini Operarij,
ultrò fatentes, plurimùm sibi novarum vi-
rium ad resumendos labores muneri suo pro-
prios à secessu hoc triduano semper accede-
re. Tu nunc, amice lector, quæ hoc an-
no tractavimus, ad verbum h̄ic conscrip-
ta, benigno oculo perlustra, &
Vale.



Ingres-



Ingressus ad Sacrum Triduum.

Ad eftis & hoc iterum anno , facerdotes sancti ! (patebit hoc triduo , quām verē vos iſto nomine compellem) Adeftis , inquam , à dilecto gregetantiſper avulſi , ut in ſancto hoc ſeceſſu pro more veftro quiescatiſ paululum . Saluto igitur vos , Domini mei , in Viceribus JEſu Christi Dilectiſſimi ac Desideratiſſimi ! Lætus vos iterum video congregatos hīc in Domino , qui ſuā gratiā ſuo favore , ſua ſingulari benedictione ſtat in medio Veftrūm . Habetis faventem Dominum , ſervi fideles , Paſtores vigilantiſſimi , ut po- te qui fervore nunquam ſatīſ commendan- do huc per ſingulos annos convenitiſ ad audiendum , quid in Sanctis Meditationi- bus veftris loquatur in vobis Dominus DE- us . Sedete igitur hīc modicūm & quiesci- te ſub umbra DEI Eucharisti , quem pro more expositum humillimè adoramus : ſcopum porro , ac ordinem Tridui no- stri conſuetā benevolentiā percipite .

Sacerdotum quilibet aut fervens
est , aut tepidus : ſi fervens est , ſan-
ctum absque ulla hæſitatione dica-
mus ; ſi tepidus est , inter reproboſ illum

au.

audacter numeremus. Tanti ergo nostrā omniū interest fervorem spiritūs constanter alere, quanti facienda singulis æterna salus, & statui Sacerdotali annexa Sanctitas, sine qua nulla nobis speranda salus. Quare Scopus Tridui nostri aliis non est, quām beati fervoris continuò alendi studium indefessum, & arcendi teporis cura per vigil. Hunc verò scopum quò certius assequamur, una ex parte Sacerdotem eximiè ferventem; altera ex parte insigniter tepidum contemplamur, ut contraria juxta se posita magis elucescant, nōsque ad Sanctum fervorem hinc potenter stimulemur; istinc à damnabili reproborum tepiditate quām longissimè & efficaciter abstrahamur. Huc quidem Considerationes ac Meditationes singulæ collineabunt. Lectio autem spiritualis remedium suggeret uti suavissimum, ita & potentissimum, quo adjuti sedulōque usi à fervore felicissimo nunquam certè discedemus, neque ad infaustum teapore unquam accedemus: remedium simplex & unicum, sed præstantissimum, & jucundissimum, uti paulò pòst ad oculum patebit. Divini Spiritūs lumen & sanctos ardores suppliciter petimus, indéque ad ipsum mox initium transimus. *Veni Sancte Spiritus.*

Sylla